



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnia huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

XXXIX. An viribus naturae cognosci poßit, Deum eße, & Vnum eße?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

IV. DE VIRIBVS LIBERI ARBITRII IN  
Naturalibus rebus.

QVÆSTIO XXXIX.

*An Viribus naturæ cognosci posset  
Deum esse, & vnum  
esse?*

CALVINVS Inst. I. c. 2. & lib. 2. c. 2. fatetur ethnicos solo naturæ lumine generatim cognouisse Deum; quod sit aliquis; at nescisse Deum verum, vnum ac solum esse.

Proinde LUTHERANVS Heschius l. de erroribus Pontificiorum, ponit istud: Dicunt Romani in Caecissimo, Posse, Deum esse, & vnum esse lumine naturali cognosci. Id quod negant Lutheri calvinisti.

SVADENT istis. I. Quia Ioan. 1. Lux in tenebris lucet; & tenebrae eam non comprehendenterunt. In mundo erat, & mundus eum non cognouit.

2. Aug. l. ro. Confess. c. 6. ait, Cælum & terram clamant; Ipse fecit nos, & non ipsi nos; surditatem canunt, nisi Deus altius misereatur.

AUTOR. I. Mens humana per peccatum orig. non ita est læsa, ut nō possit solis naturæ viribus multas veritates theoricas & mæchanicas cognoscere. Constat inter omnes etiam aduersarios.

1. *Quia* nulla res destruitur propria operatione: sed Intelligere verum propria est intellectus operatio.

2. *Quia* non est impotentior intellectus intelligendo, quam sensus in sentiendo: sed hic potest sine auxilio gratiæ specialis sentire: ergo & is intelligere.

II. Deum esse, & Vnum esse solis

naturæ viribus cognosci potest.

1. Sic Scriptura in Antichristo p. 4.

q. 22.

2. Sic & S. Patres: S. Iustinus Mart. Irenæus, Tertul. Cyp. Laet. lib. 1. Instit. c. 3. *Nemo est, qui sapiat, rationemque secum putet, qui non Vnum Deum esse intelligat.*

Ratio fauet. Quia si non posset cognosci naturaliter vnum Deus, fieret Vel quia obiectum est supernaturale: Non hæc; quia Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creaturae cognoscibiliter poterit horum Creator videri.* Ut testatur demonstrationes factæ à S. Patribus ex effectis naturæ: quod autem naturalibus doceri potest rationibus, non superat naturalem intellectum. *Vel quia* actio intelligendi unitatem Dei est difficilis, aut impossibilis. At nec hoc: Quia ubi affertur demonstratio, ibi assentiri difficile non est: sicque nil opus speciali auxilio.

DICO AD I. Ea dicuntur de Christo; ac proinde de S. Trinitatis mysterio, quod naturæ soli incognoscibile est. Dein; vt lux illuminet tenebras; haec tamen lucis saepe prævalent. Item; lux relæta naturæ, in tenebris ignorantiae lucet aliquantis per. Vnde S. Aug. in ep. ad Rom. *Quos arguit Salomon Sap. 13. non cognoverunt per creaturam Creatorem: Quos autem arguit Apostolus, cognoverunt; sed gratias non egerunt.*

AD II. S. Aug. ibi loquitur de Amore, non de Cognitione Dei; quod homines non, vt Deum cognoverunt, sic ament ac laudent.

QVÆ.

